

suam repetere : non tamen omnis est contra jus commune. Quinimo jus commune induxit legem de præscriptione, tam ad puniendam quorundam desidiam, res suas longo tempore repetere negligentium ; tum etiam ad conservandam publicam pacem reipublicæ, ac sopiendas infinitas propemodum lites, quæ alioquin oriri possent. Unde etiam fit, quod completa semel bona fide per alterum præscriptione, amittat prior dominus jus suum ad rem, quam tempore legibus definito non repetivit, aut repetere neglexit.

146. *In materia præscriptionis, ac tituli ad eam requisiti, non est differentia inter jus civile et canonicum.* — Urgebis. Citato cap. 1. de Præscription. in 6. fit solum sermo de præscriptione rerum ecclesiasticarum, ibi : « Qui rem præscribit ecclesiasticam : » ergo dispositio illius decretalis non est extendenda ad præscriptionem rerum civilium, seu profanarum, quamvis jus commune sit contrarium præscribenti. Resp. neg. consequent. Quia in materia præscriptionis, ac tituli ad eam requisiti, nulla est differentia inter jus civile et canonicum ; eo quod in tali casu de jure canonico exigatur titulus propter præsumptam malam fidem : adeoque, cum agatur de peccato excludendo, standum erit juri canonico etiam in foro civili ; prout recte notat Abbas c. *Si diligenti* n. 35. h. t. et Covarruvias lib. 1. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 7. citans alios.

147. *Textus in cap. 1. h. t. in 6. procedit, quando jus commune fortiter resistit præscribenti.* — Instabis. Præscribenti servitutem in alio fundo, adversatur præsumptio juris communis (nam quodlibet prædium præsumitur liberum, nisi probetur contrarium, arg. 1. *Altius. C. de Servitut.* cum concordantiis ibidem a Glossa adductis) et tamen ad præscribendam servitutem in alieno fundo, non requiritur titulus text. clar. 1. *Si quis diuturno ff. Si servitus vindicetur*; ergo. Resp. neg. anteced. Quia, ut notat Covarruvias loc. cit. n. 7. quod quis habeat jus servitutis in alieno prædio, non est contra jus commune, sed tantum quamdam præsumptionem juris naturalis, juxta cit. 1. *Altius.* Cæterum (subdit idem auctor) textus in cap. 1. h. t. in 6. procedit, quando jus commune fortiter resistit præscribenti, attribuendo videlicet alteri talem rem, prout decimæ, de quibus ibidem est sermo, attribuuntur parochi. Concordat Abbas c. *Si diligenti* n. 20. h. t. ubi ait, quod cit. cap. 1. eod. in 6. procedat in præsumptione urgenti, non autem in qualibet præ-

sumptione. Fatendum tamen, quod plures doctores velint, illud esse speciale in servitutibus præscribendis, utpote in quibus præsumptio libertatis versatur circa modicam læsionem.

## § VI.

## DE TEMPORE AD COMPLENDAM PRÆSCRIPTIONEM RERUM, SERVITUTUM, ET ACTIONUM REQUISITO.

148. *Res mobiles privatorum cum titulo, et bona fide, præscribuntur triennio : immobiles per longi temporis possessionem. Longum tempus quod censeatur in jure.* — Quæritur 1. Quantum temporis requiratur ad præscriptionem rerum tum mobilium, tum immobilium, contra privatos? Resp. 1. De facto res mobiles privatorum cum titulo et bona fide, usucapiuntur triennio : res immobiles autem per longi temporis possessionem ; id est, decennio inter præsentem, et viginti annis inter absentes. Ita nunc communis ; atque seclusa omni locorum differentia, rejectaque annali exceptione prius usitata, habetur expressum in l. un. c. de Usucapion. transformand. et § 1. Instit. de Usucapion. In quo posteriori loco cum primis fit mentio de bona fide, ac justo titulo, illis verbis : « Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quamvis justa causa acceperit, » etc. Atque infra loquendo de rebus qualiter acquisitis, atque possessis jungitur : « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (id est, inter præsentem decennio, inter absentes viginti annis) usucapiuntur. » Hæc ibi. Pro cujus intelligentia

149. *Res mobiles et immobiles, quæ? —* Notandum est primo, quod « Res mobiles » dicantur hæc, quæ loco moveri possunt : ut vestis, animalia, naves, et similia. « Res immobiles » e contra sunt, quæ loco non moventur : ut ecclesia, domus, agri, prædia, et hujusmodi.

150. *Nomine immobilium etiam veniunt beneficia, census, redditus, jus patronatus, etc., ac jura et actiones ad immobilia.* — Porro nomine « immobilium » etiam veniunt beneficia, census, redditus, jus patronatus, ususfructus, et servitutes. Hæc enim omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum, et commoditatem suam : uti argumentatur

Lessius lib. II. cap. vi. n. 25. et concordat textus in Clem. *Exivi.* § *Proinde de Verb. signif.* ibi : « Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a jure. » Rursus nomine immobilium comprehenduntur jure, et actiones ad immobilia. Dicitur notanter ; « ad immobilia : » nam jure, et actiones ad mobilia ; v. g. ad equum, vestem, etc. dicuntur res mobiles, non minus, ac ipsemet equus, vestis, etc. Siquidem accessorium naturam sequitur principalis ; juxta reg. 42. jur. in 6.

151. *Præsentem, et absentes, qui dicuntur? —* Notandum ulterius, quod quantum ad propositum, « Præsentem » dicantur, qui in eadem provincia commorantur, sive res præscribenda sit pariter in illa provincia, sive in vicinia, sive alibi, aut etiam trans mare. Hoc enim nihil importat, cum dominium rei, et jus vindicationis incorporale sit, ac proinde, ubicunque res posita sit, ejus dominium a domino repeti possit, l. *Cum in longi.* juncta Glossa §. *In eadem provincia.* C. de Præscription. longi tempor. E contra vero « Absentes » dicuntur illi, qui in diversis provinciis habitant.

152. *Provincia nomine, quid intelligatur? —* Porro nomine « Provincia » impræsentiarum intelligitur locus, qui olim ab eodem præside regebatur. Quia vero de facto plures sunt civitates, quæ habent sua propria regimina, sive proprium gubernatorem, qui soli principi, vel senatui subest ; de singulis talibus territoriis idem nunc est dicendum, quod superius est dictum de provinciis : videlicet, « Præsentem » esse, qui in eodem tali territorio ; « Absentes » autem, qui in diversis territoriis habitant. Glossa cit. l. *Cum in longi.* §. *Id est una provincia,* et Bartolus ibid. ac sequuntur alii passim.

153. *Quid, si quis quibusdam annis fuit absens, quibusdam præsens. —* Resp. II. « Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot anni ex decennio fuit absens. » Ita loquitur Aut. *Quod si quis.* C. de Præscrip. longi tempor. Quæ quidem communiter sic intelligitur, quod unus annus præsentis æquivalet duobus annis absentis ; et vicissim duo anni absentis, faciant unum annum præsentis : adeoque, si quis per octo annos præsens fuerit, et deinde per duos absens, alii duo anni sint supperaddendi ; ita ut hæc præscriptio ante annos duodecim non compleatur.

154. *Res vitiosæ, seu furtivæ non possunt*

*triennio usucapi. Usucapio in rebus mobilibus non facile procedit. —* Cæterum ab usucapione trienniali excipiuntur res vitiosæ, id est, furtivæ, vel vi possessæ. Tales enim non possunt triennio usucapi : non tantum a fure ipsomet, vel per vim possidente, (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed nec a quocunque alio tertio, quamvis eas bona fide a fure, vel ab aliis emerit, aut quocunque alio titulo acceperit, text. clar. § *Furtivæ.* Instit. de Usucapion. Ubi proinde merito subjungitur, quod usucapio in rebus mobilibus non facile procedit : quia plerumque, qui primus rem alienam vendidit, furtum commisit ; quinimo scienter rem alienam vendens, hoc ipso committit furtum. Verum hoc intelligit de usucapione trienniali : nam res hujusmodi furtivas a bone fidei possessore posse præscribi spatio triginta annorum, tenet communis doctorum ; estque jam dictum supra § 2. n. 27. et seqq. nonnullæ aliæ limitationes declarantur.

155. *Bona tam mobilia, quam immobilia privatorum, sine titulo, sed cum bona fide, præscribuntur triginta annis. —* Resp. III. Ad præscribendam bona tam mobilia, quam immobilia privatorum sine titulo (supposita tamen bona fide ex parte præscribentis) requiritur, et sufficit tempus triginta annorum. Ita communis ; et habetur l. *Sicut in rem.* C. de Præscript. triginta vel quadraginta annor. ubi generaliter dicitur : « Si quis res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicumque actione vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præscriptio metuenda, » etc. Concordat textus c. *Sanctorum.* 3. h. t. ubi ecclesia per quietam et sinceram, hoc est (ut explicat Glossa ibid.) bona fide continuatam possessionem triginta annorum, præscribit rem et possessiones privati. Neque in hoc casu (sive loquendo de præscriptione longissimi temporis, nempe triginta vel quadraginta annorum) adhibetur distinctio inter absentes, et præsentem : nam neque jus eam adhibet ; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. *De pretio.* ff. de Publiciana in rem action. ubi Summarium, et doctores passim.

156. *Servitus mere personalis nullo tempore præscribitur, bene tamen libertas hominis. —* Quæritur II. Quanto tempore præscribantur jura servitutum, aut mediante alterius præscriptione admittantur ? Hæc quæstio proce-

dit solummodo de servitute reali, ac mixta: nam quod servitus mere personalis, qua tollitur libertas hominis, nullo unquam tempore præscribitur, etsi servus possit præscribere libertatem contra dominum; patet ex l. II. et III. c. de Longi tempor. præscript. quæ pro libertate, etc. estque jam dictum supra § 2. n. 29. et 30. Hoc prænotato

157 et 158. *Servitus mixta et servitus realis, quo tempore præscribantur cum titulo?* — Resp. I. Servitus mixta, seu quæ a re debetur homini, ut est ususfructus, usus et habitatio, præscribitur cum titulo decem annis inter absentes: sed sine titulo annis triginta. Ita Lessius l. II. de Justit. et jur. cap. vi. n. 27. post Gomezium tract. de Servitutibus, tom. II. cap. xv. et alii. Idque patet ex l. ult. § fin. c. de Præscription. longi tempor. ubi ea, quæ prius decidebantur observanda in præscriptione rerum immobilium (de quibus n. 148. et 155. jam dictum est) etiam in servitutibus, præsertim mixtis, observanda declarantur, illis verbis: « Eadem observanda, et si res non soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt, veluti ususfructus, et cæteræ servitutes. » Hæc ibi.

Resp. II. Servitus realis, seu quæ a re debetur rei, tam affirmativa, quam negativa, tam rustica, quam urbana, continua, vel quasi continua, cum titulo, et bona fide præscribitur contra præsentem decem annis, et viginti annis contra absentem. Ita textus l. ult. c. Præscription. longi tempor. ac tenet Abbas c. De quarta. n. 21. et seqq. de Præscription. ; Gomez loc. cit. n. 27; Covarruvias in c. Possessor. part. II. ab init. n. 8; Lessius loc. cit. n. 28; Layman lib. III. Theolog. moral. sect. 5. tractat. I. cap. ix. n. 4; Pirhing h. t. n. 119. attestantes de communi; pluresque alii apud Fachineum lib. VIII. Controvers. jur. cap. xxii. quamvis iste postmodum aliam sententiam sequatur.

159 et 160. *Quo tempore præscribatur sine titulo servitus realis continua, vel quasi discontinua?* — Resp. III. Loquendo tamen de præscriptione servitutis realis sine titulo, et quanto tempore jus talis servitutis mediante præscriptione acquiri valeat; est distinguendum inter servitutum discontinuam, seu quasi continuam, et inter servitutum discontinuam. Et quidem servitus realis continua, vel quasi continua cum bona fide, licet absque titulo, interveniente scientia et patientia adversarii, contra quem fit præscriptio, præscribitur decem annis inter præsentem,

et viginti annis inter absentes. Ita Lessius ubi supra, n. 28; Layman d. n. 4. post Gomezium cit. cap. xv. n. 27. et communem aliorum. Idque patet ex l. I. et II. c. de Servitutibus. et aqua. ubi expresse dicitur, servitutum, quæ habet causam continuam, sciente adversario, nec reclamante, acquiri longi temporis spatio: atque per longum tempus intelligitur decennium inter præsentem, et viginti anni inter absentes, § 4. Instit. de Usucapion. Concordat textus in l. Si quis diuturno ff. Si servitus vendicetur. Accedit, quia si dominus, seu is ejus interest, scit, et permittit tanto tempore rem suam alteri servire (ut puta, tolerando tignum alterius suo parieti immissum, vel aquæ ductum in suo fundo factum, aut hujusmodi) censetur hoc jus sponte alteri concedere: unde non est opus alio titulo ex parte præscribentis, dummodo interveniat bona fides.

Quod si vero servitus sit discontinua, ut iter, via, seu jus agendi juramentum, vel ducendi currum per fundum alterius: tunc ea absque titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali; prout desumitur ex l. Servitutes. ff. de Servitutibus. ac notat Lessius cit. n. 28. et Layman d. cap. n. 5, allegans communem. Ratio disparitatis est, quia non facile a domino potest adverti possessio juris servitutis discontinuæ ab altero prætensæ, ut eam possit impedire, prout accidit in servitute continua, cujus usus cum sit continuus, facile advertitur.

161. *Servitutes mixtæ, sicut et servitutes reales, tum rusticæ, tum urbanæ, quo modo et tempore amittantur?* — Resp. IV. Servitutes mixtæ, puta, ususfructus, usus et habitatio; sicut et servitutes reales, quæ non usu amitti solent, extinguuntur spatio decem annorum inter præsentem, et viginti annorum inter absentes. Textus est in l. Sicut usumfructum. c. de Servitutibus. et aqua. Ubi tamen sciendum est conformiter dictis n. 109. et 110. quod servitutes rusticæ amittantur per solum non usum alterius: unde non est opus, quod dominus prædii aliquid faciat, quo bona fide facto incipiat usucapere suam libertatem. At vero urbanæ servitutes non amittuntur solo non usu, sed opus est, ut possessor loci debentis servitutum, aliquid faciat bona fide, quo incipiat usucapere suam libertatem, v. g. tignum eximendo, vel foramen obstruendo, ac ejusmodi, l. Hæc autem Jura. ff. de Servitutibus. urban. præd. Et tunc tempus decennale, vel vicennale,

est computandum a tali actu contrario, quo bona fide incipit libertas usucapi: at vero respectu servitutum rusticarum computatur totum tempus, quo cessavit usus ipsarum.

162. *Ad præscribendas res immobiles contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, etc., requiruntur anni quadraginta.* — Quæritur III. Quantum temporis requiratur ad præscribendas res immobiles contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, aliaque loca religiosa, et contra donationes ad pias causas? Et notanter de his omnibus insimul quæstio proponitur: nam, quantum ad materiam præscriptionis attinet, de omnibus pariter discurrendum est, juxta Auth. Quot Actiones. c. de Sacrosanct. Eccles. juncto Auth. de Ecclesiasticis titulis. § Pro temporalibus. collat. 9. Occasione cujus etiam quæri potest de bonis privatis, seu patrimonialibus clericorum.

163. Resp. I. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, aliaque pia loca, et causas, requiruntur anni quadraginta: excepta tamen Romana Ecclesia, contra quam et ejus jura currit sola centenaria præscriptio; exceptis etiam nonnullis monasteriis, atque ordinibus religiosis speciali privilegio munitis, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant. Ita communis.

164. *Idque probatur.* — Et quidem prima pars habetur expressa in pluribus textibus juris, hoc titulo passim occurrentibus: ut c. Ad aures. 6. et c. Illud autem. 8. et c. Quia indicante. 9. h. t. ubi clare habetur decisum, quod contra Ecclesiam, jura episcopalia, decimas, et hujusmodi, quadraginta annorum spatio præscribatur. Quamvis enim aliqui antiqui canones (ut can. Per singulas. can. Quicumque. et can. Placuit. 16. q. 3.) admiserint præscriptionem triennem: illi tamen vel procedunt ex parte Ecclesiæ, quæ præscribit rem privati per quietam, et bona fide continuatam possessionem triginta annorum; ut c. Sanctorum. 3. h. t. juncta Glossa in casu, et doctoribus ibid. vel eisdem nunc est derogatum, cit. c. De quarta. 4. et c. Illud autem. 8. h. t. ubi sola quadragenaria præscriptio adversus inferiorem Ecclesiam admittitur.

165. *Contra Ecclesiam romanam currit sola centenaria præscriptio.* — Altera pars, seu quod sola centenaria præscriptio contra romanam Ecclesiam procedat, clare habetur can. ult. caus. 16. q. 3. et c. Ad audientiam. 13. et c. Cum vobis. 14. h. t. et c. Si qui.

eod. in 6. Concordat prædictis Auth. Quas actiones. c. de Sacrosanct. Eccles. ibi: « Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias triennalis præscriptio excludit: et si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur, usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus: sola romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio vel privilegio. » Hæc ibi.

166. *Monasteria quædam, et ordines sunt privilegiati, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant.* — Tertia pars, seu quod quædam monasteria, et ordines specialiter sint privilegiati, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant; traditur a Lessio lib. II. de Justit. et jur. cap. vi. n. 25; Engel, h. t. n. 33; Molina, et aliis. Sic enim Eugenius IV. de plenitudine potestatis concessit ordini sancti Benedicti, ut res immobiles non nisi annis sexaginta possint contra ipsum præscribi: et hoc idem concessit Julius II. congregationi Sancti Salvatoris. Addit Engel, ubi supra, post Arnoldum Rath tract. de Usucap. cap. v. assert. 35, ordinibus mendicantium, et ordini Cisterciensium primum in Hispania, et deinde per communicationem in superiori Germania, centenariam præscriptionem a diversis pontificibus esse concessam.

167. *Bona privata, et patrimonialia clericorum, præscribuntur tempore ordinario.* — Resp. II. Memorata præscriptio quadragenaria nequiquam extenditur ad bona privata, et patrimonialia clericorum; sed hæc præscribuntur tempore ordinario, sicuti bona laicorum. Ita Glossa can. Possessiones. 16. q. 4. §. Episcoporum. istud probans ex c. Sanctorum. 3. h. t. quod intelligit de bonis patrimonialibus episcoporum, vel clericorum; Covarruvias lib. I. Variar. resolut. cap. iv. n. 3. et 4. istud amplians ad bona patrimonialia clericorum, ad quorum titulum sunt ordinati. Abbas d. c. Sanctorum. n. 6. et Barbosa, ibid. n. 2. allegans communem. Pirhing h. t. n. 95. et alii. Ratio est, quia privilegium quadragenariæ præscriptionis est quidem concessum ecclesiis, aliisque locis piis, non vero istud reperitur concessum clericis, horumque bonis patrimonialibus: imo oppositum innuit textus in cit. c. Sanctorum. h. t. juxta intellectum Glossæ proxime citatæ.

168. *Utrum res mobiles Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, cum titulo, et bona fide, triennio usucapiantur, variant doctores.*